

num, Judæ æstimantur participes, qui Christum A fides probata fuerit, qui ad utilitatem et necessitatem monasterii faciat quod poterit facere.

XXX. Illud etiam attendendum fuit, ut intra monasterium artificium non faciat ullus, nisi ille cujus

Explicit Regula sancti Macarii.

EPISTOLA BEATI MACARII

Data ad monachos.

Lignorum copia ingentem excitat flammam: multitudo autem escarum emittit concupiscentiam. Pes-
sima concupiscentia escarum et inobedientia generat mortem. Indigens venter in orationibus vigilantiam præstat, et coronam animæ acquirit; repletus
convivia scrutatur, oculus autem sapientum meditatur continentiam. Formidolosus miles horrescit ad tubam, quæ bellum significat, et gulosus si abstinentiam prædicantem audierit, non libenter auscultat. Flamma cum marcescit, elucescit iterum si acceperit lignum; et libido sopita rursus crescit in saturitate. Non miserearis corpori, si lassitudine defecerit: equus consentiens indigens corpus nec ascensorem dejicit unquam. Concupiscentia gulæ mater est libidinis. Oleum nutrit lampada lucernæ, et ignem reaccendit confabulationem mulieris. Facies mulieris sagitta est triculenta; infligit vulnus in animam. Ut venenum fuge confabulationem mulieris, si castus esse volueris: absconsum namque in eis est venenum bestiarum nequissimum. Magis appropinqua igni ardenti quam mulieri novellæ. Cum sis juvenis, fuge impetum libidinis et confabulationem mulieris. Qui repleverunt ventrem, et promiserunt castitatem, sibi mentiuntur. Forma pulchritudinis pejus quam procella submergit. Species mulieris si semel mentem contriverit, etiam ipsam mentem contemnere persuadet. Ut enim si paleis remoretur ignis, excitat flammam, sic memoria mulieris permanens succendit concupiscentiam. Ut enim cumulata navis undarum ictu obruitur, sic multa possidens monachus non salvabitur. Nihil possidens monachus athleta insuperabilis: nihil possidens monachus cursor levis, velociter ad bravium vacationis pervenit. Avarus monachus operari ne-

gligit: nihil possidens monachus post opus moderatum orationibus et lectionibus vacat. Avarus monachus thesaurizat sibi iram in die ultionis: nihil possidens monachus thesaurizat in cælo, et dabit laudem cum angelis Deo. Gloriatio monachi, patientia in tribulationibus ejus. Gloriatio monachi, longanimitas cum charitate. Gloriatio monachi nullas, res præsentis vitæ possidere. Gloriatio monachi, vigiliæ et fletus in orationibus. Gloriatio monachi, mansuetudo et cordis silentium. Gloriatio monachi, quando Dominum ex toto corde dilexerit, et proximum suum tanquam seipsum. Gloriatio monachi, abstinentia escarum et a multiloquio linguæ. Gloriatio monachi, quando proximum suum sicut seipsum patitur. Gloriatio monachi, quando verba ejus operibus consonant. Gloriatio monachi, quando in loco suo permanet, et huc illucque non vagatur. Gloriatio monachi, longanimitas. Sicut lampas in loco tenebroso, sicut sol radians, sic monachus mente sobria et corde pervigili in tempore salutis suæ. Sicut pondus salis deprimit virum infirmum, sic somnus monachum. Sicut spinæ et tribuli agro opimo, sic et cogitationes turpes pessimæ in corde monachi. Sicut tineæ exterminat vestimentum, sic distractiones animam monachi. Noli te dare ad colloquium mulierum, ne fias separatus a regno Dei, et ne velis dicere: Loquar cum muliere, et mundus sum. Monachus sapiens suis manibus operatur, et victum sibi quotidianum acquirit, et lucratus est orationes et jejunia sua; si autem ab alio acceperit victum, quid prodest quod orat et vigilat? Sicut mercenarius malus, nudus evadit; quia scriptum est: *melius est dare quam accipere* (Act. xx). Qui legis, intellige in Domino semper.

Explicit epistola beati Macarii.

SANCTI PACHOMII

ABBATIS TABENNENSIS

REGULA AD MONACHOS, PRÆCEPTA, EPISTOLÆ.

(Vide hujusce Patrologiæ tomum XXIII, col. 65.)

SANCTI ORSIESII

ABBATIS TABENNENSIS

DOCTRINA DE INSTITUTIONE MONACHORUM.

DE S. ORSIESIO EJUSQUE REGULA SIVE DOCTRINA MONASTICA VETERUM TESTIMONIA.

Auctor Vitæ S. Pachomii, cap. 53.

Petronius paucis diebus totam fraternitatem gubernans et hic in pace defunctus est, relinquens post se virum justum et acceptum Deo Orsiesium nomine.